



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 6. Pauperum cognationem à nemine libenter agnosci. Terentij loco
allatus non dißimilis Menandri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Id autem valuisse vocabulum illud apud veteres, docet Ovidius libro tertio Fastorum, qui de Minerva capta differens, multasque eius appellationis causas proferens: hanc primam ponit, dictam videri posse captam, quasi capitalem: quod ingeniosa sit. Versus, quibus ea sententia continetur, hi sunt:

*Parua licet videas capta delubra Minerva,
Qua dea natæ cepit habere suo.*

*Nominis in dubio causa est. capitale vocamus
Ingenium follers. ingeniosa dea est.*

neque me lateret, alibi Philisti Breuitatem à Cicerone laudari. sed aliud est breuem esse, aliud capita rerum attingere. Breuitas quidem etiam in Thucydide, Salustioque laudatur. Fieri tamen potest, vt ille aliud quippiam secutus sit, quod me fugiat, neq. ego ipse iudicio meo anteponi postulo. tantum, quid mihi videatur, aperte ac liberè dico: iudicium aliorum facio.

*Pauperum cognationem à nemine libenter agnoscì.
Terentij loco allatus non dissimilis Menandri.*

CAPVT VI.

QVOD homo impurus apud Terentium subdole & malitiosè Phormio dicit, idcirco nolle Demiphonem agnoscere, eam puellam, cuius ipse se defensorem esse simulabat, tanquam cognatam sibi, quod illa egens relicta esset: id olim Menander generatim atque vniuersè, summa cum elegantia, dixerat: pronunciaratque, difficile & operosum esse, reperire cognatum pauperis. neminem enim fateri, sibi quicquam esse eum, qui auxiliij alicuius indigeret: propterea quod statim putaret à se aliquid petitem iri. Terentij versus sunt:

*Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
C 5 Negli-*

Ant. Muret.
Varia Lectiones
LII
25

Negligitur ipsa. vide, auaritia quid facit.

Menandri autem, — ἔργον φέρειν συγγενῆ

Πέντος ὄσιν. εἰδέεις γὰρ ὁμολογεῖ,

Αὐτὸ προσήκειν ἢ βονθείας πνός

Δεόμενον, αἰτεῖται γὰρ ἅμα τὴν προσδοκῆν.

Menandrea verò hæc in Latinum sermonem conuerterit quispiam:

— *agrè inueneris*

Cognatum egentis. nemo enim agnoscit libens,

Ad se attingere eum, opis alicuius qui indiget,

Nam mox petuum quippiam à se iri putat.

Ciceronis locus è Dinarcho expressus ostenditur.

CAPVT VII.

M. TULLIUM in Orationibus suis multa è Græcis oratoribus mutuatum esse constat: neque tantum artificij, quo illos in versandis ac regendis auditorum animis vsos esse perspiceret, acrem ac diligentem imitatore[m] fuisse, verum etiam integra non parum sæpe enthymemata illorum, in orationes suas transtulisse. Iuuat autem me, quatenus licet, id obseruare: profiteorque me ex eiusmodi locorum contentione singularem quandam, eamque, vt opinor, neque illiberalem, neque frugis expertem capere animo voluptatem. & quia ex meo sensu de alijs iudico, puto ceteris quoque idem vsuuenire: nemo vt sit paulò humanior, cui non gratum ac iucundum sit cognoscere, quid à quoque Cicero sumpserit, quoque modo quæ illorum erant, imitando fecerit sua. Quocirca talia quædam his libris inspergere est animus: non vllò quidem certo ordine, neque enim genus hoc scriptionis ordinem postulat; sed vt quicque in mentem venerit. Nunc autem occurrit illud quod scriptum est in priore actione

in Ver-